



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 726. Usque Ad Annum 813

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1760

VD18 90117859

§.56. Alii contra Felicem & Elipandum Libri.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66091)

Sæcul. VIII. A. C. 792. runtur, videantur esse Hæretici, Nis-
forte, inquit, tu eas depravasti, quemal-
modum & alios textus, nam vox Assum-
ptio loco vocis Adoptio ibi legi dicitur.
Nos autem Auctoritate Ecclesie Romana
nitimur. Refert postremo aliquas Ora-
tiones, in quibus Jesus Christus Filius
Dei unicus nominatur, suntque illæ ipsæ,
quas hodieque, & in iisdem Festis reci-
tamus.

§. LVI.

*Alii contra Felicem & Elipandum
Libri.*

*Libell. Paul.
to. 7. Conc.
p. 1022.*

*Ep. Car. p.
1048. 1049.
Coit. an.
793. n. 15.*

Elipandus data usque in Franciam epi-
stola Encyclica ad Episcopos, & alia
speciatim ad Regem Carolum directa
suam Doctrinam propugnabat, ejusque
litteræ in Concilio ex diversis provin-
ciis collecto recitatæ sunt. Quadam ve-
ro die Episcopis in atrio Palatii confiden-
tibus, Diaconis, Presbyteris omnibus-
que Clericis circumstantibus, ipso Rege
præsente allata est Elipandi Epistola, qua
perlecta Rex e sede sua surgens diu de
Fide verba fecit, & addidit: *Quid vobis
videtur? ab anno superiore, ex quo hic
error spargi cepit, magno horrore usque
ad extremas Regni nostri partes exceptus
est. Maxima ergo cura tollendum exi-
stimo. Cum Episcopi aliquot dierum
moram petiissent ad dicendam senten-
tiam*

tiam, Rex diem præstituit, qua singuli, Sæcul. VIII.
A. C. 792.
quid censerent, in scripto aperirent. Præ-
terea Carolus hac super Quæstione Le-
gationibus Romam quater adornatis Pa-
pæ sententiam exploravit. Ex magna
Britannia quoque viros doctos accivit,
ut omnium Ecclesiarum in Occidente
consensum colligeret.

Hadrianus Papa missa ad Regem Ca-
rolum epistola, quæ dirigebatur ad E-
piscopos Galæciæ & Hispaniæ, id est, tam
ad illos, qui Regi Alphonso parebant,
quam ad illos, qui sub Dominatione A-
rabum premebantur, litteris Elipandi si-
bi a Rege missis respondit, & Auctori-
te Scripturæ errores in iis contentos re-
futavit in hunc modum: *JESUS CHRISTUS*
dicit: *Ascendo ad Patrem meum, & Pa-*
trem vestrum, suum natura, nostrum ad-
optione. to. 7. Conc.
p. 1014.
S. Paulus dicit: *Proprio filio* Joan. 20. 17.
Rom. 8. 38.
suo non pepercit Deus, sed pro nobis om-
nibus tradidit illum. Atqui non secun-
dum Divinitatem, sed secundum Huma-
nitatem traditus est. Doctrinam suam
Pontifex in Confessione S. Petri præci-
pue fundat: *Tu es Christus Filius Dei* Matth. 16.
vivi. Refert deinde Auctoritatem mul-
torum Patrum tam Græcorum quam La-
tinorum, illos damnantium, qui JESUM
CHRISTUM filium adoptivum sicut nos
esse dicerent. In fine hortatur Episco-
pos Hispaniæ, ut Ecclesiæ Fidei inhæ-
reant.

Sæcul. VIII. reant. Secus, eos ab eadem separatos
 A. C. 792. & anathematizatos Auctoritate S. Petri
 pronunciat.

To. 7. Conc. Paulinus quoque Patriarcha Aquile-
 p. 1022. jensis misit sententiam suam scriptam, &
 v. Coimt. ann. non solum suo, sed etiam Petri Archie-
 794. piscopi Mediolanensis omniumque Epis-
 Epist. Car. coporum Liguriæ, Istriæ, Territorii Ve-
 p. 1049. netorum, & Æmiliæ, id est omnium Ita-
 liæ Provinciarum in Ditionibus Caroli
 existentium nomine loquebatur. Reli-
 qua Italiæ pars mentem suam cum Papa
 explicaverat.

p. 1028. & In hoc Tractatu Paulinus errorem E-
 p. 1038. lipandi fusissime confutat & speciatim,
 quod Jesu Christi Persona ex tribus sub-
 stantiis Verbo, Anima & Corpore com-
 poneretur. Hæc enim, ut supra vidi-
 mus, Doctrina Hispanorum erat. Affir-
 mat, animam & corpus in homine uni-
 cam Substantiam totam & perfectam
 constituere, *Secus enim, inquit, quia
 Corpus quatuor elementis constat, (in quo
 illius ævi Philosophi omnes consentie-
 bant) in Jesu Christo sex Substantia
 admittendæ forent.* In conclusione Eli-
 pandum & Felicem anathematizat, nisi
 errorem abjiciant, omnesque eorum Se-
 ctatores, salva tamen Papæ Jurisdictione.
 Carolo precatur Victoriam de Barbaris
 reportandam, quo facilius ad veram Fi-
 dem adducantur, petitque, ut Episcopi
 ab

ab obsequiis militaribus præstandis & negotiorum sæcularium cura eximantur. Sæcul. VIII.
A. C. 794.

§. LVII.

Concilium Francofordiense.

Hæc Paulini Epistola in Concilio Universali omnium Provinciarum, Carolo parentium, celebrato ineunte æstate anni 794. vigesimo sexto Regni ejus, Francofordiæ ad Mœnum prope Moguntiam lecta est. Illa tempestate erat locus ille Domus Regia, in qua Carolus hyeme consumpta Festum Paschale celebraverat.

Huic Synodo autem interfuerunt duo Episcopi Papæ Legati Theophilactus & Stephanus. Postquam Rege jubente litteræ ab Elipando & Episcopis Hispaniæ missæ, lectæ fuissent, & ad examen revocatæ, Concilii Patres data Epistola Synodica, nomine omnium Episcoporum Germaniæ, Galliæ, & Aquitaniæ, ad omnes Episcopos & Fideles Hispaniæ directa, amplissime responderunt. Ann. Laur.
resh.

Præcipue illos Textus, quibus Hispani abutebantur, refellunt. Quod vero spectat ad argumenta ex Liturgia Hispanica, quæ S. Isidoro, Sancto Ildephonso, & S. Juliano Episcopo Toletano tribuebatur, Patribus Francofordiensibus operæ pretium non videtur, ut explicant, sed potius dicunt, ob hos ipsos errores p. 1032.

Hispa-